

§. 2. Idcirco, Nos praedictorum fidelium nostrorum supplicationibus favorabiliter annuentes, ex innata Nobis Clementia, omnibus et singulis Praelatis, Baronibus, Nobilibus, militibus, clientibus, nec non cujuscunque alterius status et praeeminentiae, vel conditionis hominibus, in Regnis nostris praelibatis Ungariae et Sclavoniae, nec non partibus Transylvaniae, commorantibus, ad eosdemque pertinentibus, gratiam faciendam duximus, in hunc modum etc.

§. 12. De familiaribus vero quorumcunque aemulorum praefatorum nostrorum, nec non de quibuscunque Nobilibus, in praefatis Regnis nostris, Ungariae, Sclavoniae, et partibus Transylvaniae possessiones habentibus, decernimus; quod in praesens, gratia ipsis generaliter, suffragetur. Ita tamen: quod infra anni revolutionem proxime futuri, a die datarum praesentium inchoando, causa fidelitatis ostendendae, coram nostra Majestate se praesentando, literas nostras Regales pro se obtineant superinde.

13. Quod si forte nonnulli, ex rebellibus et aemulis nostris superius designatis, seu ex sequacibus eorum, aliqua spolia, incendia, damna, maleficia, rapinas, caedes, seu alias cujuslibet generis offensiones deinceps commiserint, vel perpetraverint, seu quicquam contra Majestatem nostram attentare praesumpserint; videlicet illi, inter partes Transylvanienses et Dravam commorantes, post dies octo; illi vero de partibus Transylvaniensibus post dies viginti: Sic illi, qui sunt trans Dravam, post dies quindecim, a die datarum praesentium in antea computandos; volumus, quod possint, non obstantibus contentis in literis nostris, secundum formam juris, et justitiae condemnari.

## SIGISMUNDI IMP. & REG. DECRETUM VI. SIVE MAJUS, ANNI 1435.

### *De Judicibus Ordinariis Regni, et eorum juramento.*

#### Articulus 1.

§. 1. Statuimus: Ut semper successivis temporibus, omnes et singuli Judices et justiciarii dicti Regni nostri, tam Ecclesiastici, quam saeculares, qui videlicet in Palatinum, Judicem Curiae Regiae, Magistrum Tavernicorum Regalium, Cancellarium, aut Vice-Cancellarium Regalem, in Proto-Notarium et Vice-Gerentem Judicum praetactorum, ac etiam Assessores eorundem in judicio; in Waywodam partium Transylvaniensium, Comitem Siculorum, Banum Regnorum Dalmatiae et Croatiae, Banum Sclavoniae, Banum Machoviensem, ac Comites quorumlibet Comitatum, et Judices Nobilium, eligentur, assumentur, eorumque in judicatu Vice-Gerentes, Substituti, et Assessores; tempore receptionis eorundem, ad hujusmodi honores et officia, administrationis judicii et justitiae; in manibus nostris Regiis, vel deputatorum a Nobis, juramentum praestare teneantur, per formam verborum infra scriptorum, videlicet sic etc. \*)

\*) Confer. Mat. Reg. Decr. 6. art. 68. et 73. Ulad. Decr. 1. art. 10. 33. 42. Decr. 2. art. 8. Decr. 3. art. 2. et 4. Decr. 4. art. 2. 8. et 10. Decr. 6. art. 1. et 3. Decr. 7. art. 55. et alios ibi citatos. Denique An. 1723. art. 25. et Kitt. c. 10. q. 15. et seqq.